



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

671. An, & quomodo supposito jure simultaneo conferendi, Episcopus convocare possit Capitulum, & cogere ad faciendam provisionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

resignatio (uti id fieri potest. Paris. *loc. cit.* n. 23. Gabr. *conf.* 187. nu. 4. l. 1. & Rota *decis.* 23. in nov. *quæ est* 1. de rerum permut.) nam eo ipso, quod resignentur beneficia coram proprio Episcopo in Curia degente, dicuntur illa vacare in Curia per resignationem. Paris. *ibid.* n. 24. dicens esse communio-riorem, adeoque collatio spectat ad Papam, utpote cui specialiter reservata sunt beneficia vacantia in Curia. Paris. *ibid.* vel ad Cardinalem habentem indultum, in quo solet dari facultas conferendi omnia beneficia vacantia, præterquam per resignationem in Curia coram Papa; sed talia resignata coram Episcopo existente in Curia non sunt vacantia in Curia per resignationem coram Papa. Paris. *loc. cit.* ex eodem Gabriel *loc. cit.*

Quæstio 670. An, & qualem potestatem habeat Episcopus conferendi beneficia Ecclesiæ Cathedralis?

R Espondeo primò: Episcopus non habet intentionem suam fundatam in jure communi quoad collationem Canoniciatum & præbendarum Ecclesiæ Cathedralis, sicut illam fundatam habet in jure respectu aliorum dioecesium suarum beneficiorum. Lott. l. 2. q. 21. n. 81. citans Felin. in c. auditis. de præscrip. n. 10. & Rot. in Calliensis juris conferendi. 6. Martii 1617. Sed potius, si jus commune spectetur, secundum communio-riorem pertinet dicta collatio ad Episcopum, & Capitulum simul, ita ut Episcopus æqualem vocem cum Capitulo habeat. Lott. *loc. cit.* Card. de Luca de benef. d. 1. n. 26. Garc. p. 5. c. 4. n. 17. dicens, hanc esse communio-riorem, & securio-riorem, præcipue quia est approbata toties à Rota, cujus decis. quamplurimas refert nu. 14. citans insuper nu. 15. pro ea Mand. ad reg. 18. q. 14. ex n. 2. Rebuff. de nominatione. q. 8. n. 3. & *conf.* 60. & Castrop. *cit.* p. 27. n. 2. citans c. cum Ecclesia Vulterana. de elect. c. postulasitis. de concess. præb. c. 1. ne Sede vacant. in 6. & insuper Gonz. gl. 45. num. 36. Azor. p. 2. l. 6. c. 25. q. 9. contra Selv. p. 2. q. 22. à n. 12. Bursat. *conf.* 126. l. 2. n. 45. Quintadv. &c. apud Garc. n. 11. tenentes, spectare ad Episcopum privativè cum consensu tamen Capituli. Item contra Hostiens. in c. cum Ecclesia Vulteran. Coras. p. 2. c. 4. n. 4. Zechum apud eundem Garc. n. 12. tenentes, spectare ad Episcopum cum consilio Capituli. Addit Castrop. id maxime procedere, dum dicti Canoniciatus, & præbendæ erectæ sunt ex bonis communibus, uti id præsumitur in dubio; si enim constaret contrarium, nimirum quod Canoniciatus erecti fuissent de beneficiis aliis liberæ collationis ipsius Episcopi, spectaret eorum provisio privativè & totaliter ad Episcopum; cum per novam hujusmodi erectionem non alteretur jus Episcopo quæsitum. Card. de Luca de benef. d. 17. n. 6. & 9.

2. Respondeo secundò: idem dicendum de dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis; quod de jure communi non sint electivæ, seu spectent ad electionem Capituli, & earum confirmatio ad Episcopum, etiam si majores sint post pontificalem; sed solum de consuetudine, tradit Garc. *loc. cit.* n. 24. & 25. & 26. ne plus juris in iis haberet Capitulum, quam in præbendis; cum tamen deberet habere minus. Sed quantum est de jure communi spectent ad collationem simultaneam Episcopi, & Capituli, ut Garc. n. 20. & 21. juxta decis. Rotæ in Tarronens. Sacristia. 9. Junii 1600. & Abb. in c. cum Ecclesia Vulterana. de elect.

3. Respondeo terciò de cetero, si præcindatur à jure communi, spectenturque consuetudo, & præscriptio (cui deferendum est, ut ex ipso textu c. cum Ecclesia Vulterana. probant Fagn. *ibid.* n. 25. & DD. communiter, ut Card. de Luca *cit.* d. 1. n. 27.) contrarium sæpe accidit, dum Capitulum sine Episcopo præbendas conferre consuevit, & contra aliquando Episcopus sine Capitulo, ut de multis Hispaniæ Ecclesiis, & nominatim de Abulensi quodam collationem dignitatum competentem privativè Episcopo, testatur Garc. *loc. cit.* n. 27. Sic quoque cætera seu minora beneficia consistentia in Cathedralibus, ut portiones, Capellaniæ &c. Si sint de gremio Capituli, ex aliqua consuetudine, vel jure speciali spectare ad simultaneam Episcopi & Capituli collationem, tradit Castrop. *loc. cit.* n. 2. citans Gonz. & Azor. *ubi supra.* Porro qualiter, dum simultanea collatio spectat ad Episcopum & Capitulum, spectentur suffragia vel concordia, dicitur paulò post, ubi de Capitulo. Vide tantisper Garc. *loc. cit.* n. 28.

Quæstio 671. An, & quomodo, supposito jure simultaneo conferendi, Episcopus convocare possit Capitulum, & cogere ad faciendam provisionem?

R Espondeo primò: posse Episcopum convocare Capitulum, & cogere ad faciendam provisionem. Garc. p. 5. c. 4. n. 52. ex Mohed. *decis.* 1. de privileg. quamvis enim non possit convocare Capitulum, si de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, ut Trid. *sess.* 25. c. 6. hoc tamen decretum intelligendum, ut S. Congregatio in una Segunt. 3. Sept. 1587. quando agitur de eo, quod privatim interest Episcopi, etiam si spectet ad ipsum tanquam ad Episcopum, Secus si de re spectante ad ipsius Episcopi jurisdictionem, officium, dignitatem, administrationem, & regimen; jam verò in collationibus cessat peculiaris consideratio, interesse Episcopi; cum illæ ad eum, non ratione privati nominis, sed dignitatis Episcopalis pertineant. Garc. n. 53. & 54. juxta Rot. in Hispal. juris vocandi 26. Junii 1591.

2. Respondeo secundò: non potest tamen Episcopus restringere, & abbreviare tempus semestris Capituli, quod habet ad providendum de jure. Garc. n. 55. citans Baysum in *director. Electionum.* p. 3. c. 4. Cuchum in *institur. majorib.* l. 4. tit. 1. n. 179. Nec potest cogere Capitulum ad providendum. Quin & congregato per Episcopum, vel aliàs Capitulum ad providendum, posset major pars, si vellet provisionem differre. Garc. n. 56. citans Lamb. de *jurep.* p. 2. l. 2. q. 2. a. 19. num. 10. Abb. Sicut contra neque Capitulum Episcopo restringere & abbreviare terminum 6. mensium, & requirere ac vocare Episcopum, ut intersit provisioni intra certum tempus. Garc. n. 57. citans Rebuff. &c.

Quæstio 672. Quid Episcopus juris habeat circa conferenda beneficia Ecclesiarum Collegiatarum?

R Espondeo primò: cum in Ecclesiis cesset ratio, cur in Cathedralibus simultaneam habeat cum Capitulo, nimirum erectio Canoniciatum ex bonis communibus Episcopi & Capituli, neque etiam tanta sit communitio Episcopi cum tali Capitulo, quanta est in Cathedralibus, inspecta
juris